

etiam sibi adspiciantē jactat *Hilariū*, *Ambrosiū*, *Augustinū*, *Bernardū*; ea tamen arte semper Lectorem incautum iudificans, qua Apelles Antigonum Regem coelitem picturus, illam dumtaxat vultus partem expressit, quæ alterum oculum referebat. Scilicet ille ea tantum adfert, quæ sibi placent; contraria vero quæque diffimulat. Rursus quoslibet e Patribus suæ opinioni adversantibus studiose celat, ut imperiti credant, totam pro illius sententia stare veterum cohortem. At hisce dolis in sanctæ Religionis negotio uti nefas est: iisque tantummodo utatur, qui nihil de veritate sollicitus, in id unum intentus est, ut suas merces incautis dividat, & nomen sibi e novitate conquirat. Ego tum quæ is diffimulavit, supplebo; tum quæ is pro se adhibuit, iustiori lance pensabo: fietque, ut spero, palam, semper in mente Patrum prevaluisse sententiam hac de re Catholicæ Ecclesiæ. Jamque supra cap. II. animadvertimus *S. Methodiū*, qui circiter Ann. Christi cccx., teste Hieronymo, Opus egregium de Resurrectione contra *Origenem* composuit, non alia tradidisse, quam quæ nunc nos tradimus ac propugnamus. Digna sunt, quæ rursus audiantur illius verba: *Quemadmodum*, inquit, *quum dies Vitæ nostræ presentis defecerint, bona Opera (ut in Apocal. legitur xiv. 13.) Animas nostras recipient, ita brevi hac Vita soluta, ANIMÆ ANTE RESURRECTIONEM HABITATIONEM HABEBUNT APUD DEUM, donec instauratam, & nunquam casuram Domum (idest Corpus) recipiamus. Et quis iste Methodius? Tyri Episcopus, simulque gloriosus Martyr, & unus ex illustrioribus Ecclesiæ Catholicæ scriptoribus, qui a *S. Epiphanio* appellatur *vir apprime doctus, acerrimusque Veritatis patronus*. Et quanquam ille in Convivio Virginum ad millenarios accedere videatur, in eodem tamen Libro Oration. VIII. quantum absit a Burneti phantasmatis, aperte significat, dom vix sublata e vivis Virgines de numero Prudentum in beatissimum Deliciarum locum invehit, ubi illarum Animæ (*translatæ in Cœlestem Vitam*) ineffabilibus bonis ibi fitis fruuntor, & fructibus spiritalibus vescuntur, qui *utentes ipsis vescentesque, in Immortalitatem alunt, Eternitatem eis, DIVINITATEMQUE COMMUNICANTES*. Cetera non minus vivida prætereo. Quid vero de quæstione hac senserit *Eusebius Cæsariensis* Episcopus, qui præsertim Anno Christi cccxv. eruditionis Ecclesiasticæ peritia inclauit, inquiramus. Ipsam jam supra Cap. v. invenimus a Millenarii Regni opinione prorsus alienum. Porro idem in Lib. I. Cap. 13. Hist. Eccles. literis consignavit Abgari Regis conversionem ad Christi Fidem, simul tradens, ad eum fuisse missum a Thoma Apostolo Thaddæum, unum e septuaginta Christi Discipulis, qui inter alia ipsum docuit, *quo pacto Servator noster resurrexerit, & mortuos, qui multis retro Sæculis sepulti jacebant, secum una suscitaverit, utque solus quidem e Cælo descenderit, ascenderit vero ad Patrem cum maximo comitatu, & ad ejus dexteram honorifice sedeat in Cælo*. Abgari Historiam, atque ad eum Christi Episcopo-*